

scere. Et certè summè necessarius è nobis amor iste, sine quo nec ipsa mors domini, nec opus quodcunq; proficere nobis poterit ad salutem, dicite Greg. Hom. 2.7. Neq; aliquid viriditatis habet ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.

Si denique manus domini cautius inueniuntur, durissimus labor resplendet, à domino pro nobis impenfus. Solent manus laboriosa opera exercentium callis abduci aut tumoribus insari, sed non vulneribus. Manus autem domini in argumentum durissimorum laborum non solum vulnerat, sed penitus perforatæ sunt, & ad laboris continuationem clavis ferreis confixæ. Vnde & nos in laboribus ne fatigemur, plurimum consolamur. Multum etenim miles animari debet quando regem suum videt fortiter dimicantem, maximè si rex non pro sua, sed pro salute militis dimicarit. Et ecce nos peccauimus, ipse autem pro nobis laborauit sustinens. Nam peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignum. 1. Pe. 2. Hinc clamat Mat. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. An modica putatur refectio laboratori videre dominum suum pro se totum laboris pondus ferentem, vt ipse modico, ac leuissimo conatu, quod reliquum est, expleat, verius domini sui labores introeat? Verificatum est prouerbum Iohannis 4. scriptum de domino ipso, & nobis. Alius est, qui seminat, & alius est qui metit, alius, laborauit, & vos in labores eius introistis. Dominus enim suis laboribus arduissimis vitam æternam nobis seminauit, nobis beatitudinem, non sibi meruit, vt nos iam elaboratum metamus. Quis ergo non delectabiliter labore pro seipso, vt recipiat, dum intuetur manus domini sibi tantum laborasse, vt paratum inueniat, quod vtique suis propriis laboribus, etiam quotiescunq; omnino acquirere non valeret.

Si deum pedes conspicimus, relucet abdicatio omnis illecebrosæ voluntatis, carnaliumq; desideriorum. Nam

qui pedes fixit in pena ad delectabilia non mouetur. Solent autem pedes mentis affectiones designare quibus portatur animus quasi per pedes corpus, quos lauare oportet qui edere vult de carnis agni. Propter quod discipulorum pedes in cæna magna dominus ipse lauit. Dum ergo transfossos domini pedes aspiciamus, quid aliud, quam metis affectus à transitorio gaudio abstractus ac confectos doloribus intuemur? Sed pro quo doluit dominus? Non vtique pro se, qui nihil habuit vnde doleret, sed pro nostris peccatis, vt tangit Ambrosius super Luc. Vide in passione P. Vnde & nos instruiamur, confortamur simul, & consolamur. Instruimur quidem ne in hac vita gaudiis vanis, & transitoriis, laxemur, sicut scriptum est. Adolefcentia, & voluptas vana sunt. Sed magis ad domum luctus properemus, vbi affectionum pedes vtiliter laxantur. Hinc dicitur Eccl. 7. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum cõuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens homo cogitat, quid futurum sit. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur anima delinquentis. Cor sapientis vbi tristitia, & cor stultorum, vbi letitia &c. Ibidem. Confortamur quoq; si quoties à carne titillamur, aut ad vanas mundi oblectationes inuitamur, choreas, lasciuas, crapulas, conuenticula, praua spectacula, & huiusmodi, sentimusq; pedes meatu nostro paratos ad iter, intuemur confixos pro nobis domini nostri pedes. Sic enim eius contemplatio ne facilius pedes nostros figimas in cruce dicentes domino. Perfice in semitis tuis gressus meos, & non mouentur vestigia mea psal. 16. Consolamur deniq; dum tribulationibus variis molestamur, sollicitamurq; ad declinandum illas etiam cum Dei offensa. Si tunc in memoriam veniunt dominici pedes pro nobis in penam crucis constantissime fixi, quorum contemplatione ad patientiam, & constantiam animamur, dicimusq; nobis. Statuit supra petram pedes meos Petra Christus est, ait Paulus

Confide ratio pe dū Xpi docet nos illecebras carnis à nobis abdicat

Confide ratio manū Xpi docet nos laborer liber ter suscipere.